

fuit. Hæc enim amore tauri, Neptuno ita volente, ceu Poetæ fingunt, insanire cœpit. Scilicet solenne fuerat antea Minoi pulcherrimum ex omni armento taurum Neptuno consecratum afferre. Cum vero insigniter formosus tum forte extitisset, deterior ejus loco victima ei factus est. Idcirco Neptunus Minoi iratus, conjugem regis amore tauri infatuavit. Conf. Diodor. Siculum Biblioth. hist. lib. 4. p. 193. sive p. 277. Turpi huic amori Dædalus & consilio & auxilio operam locavit, vaccam aliquam efficiendo, ceu eodem loco refert Diodorus & adhuc distinctius Apollodorus lib. 3. p. m. 132. Ἡ δὲ ἐραδίαισα τῆ ταύρα, συνεργὸν λαμβάνει Δαίδαλον, ὃς ἡ ἀρχιτέκτων, πεφύλαγος ἐξ Ἀθηναίων ἐπὶ φόνω. οὗτος ἐξυλίνω βῆν ἐπὶ τροχῶν κατασκευάσας, ἐ ταύτῃ λαβὼν ἐ κοιλάνας ἔσωθεν ἐκδείρας τε βῆν, τὴν δὲ δὸρσὸν περὶ ἔγραψε ἐ θεὸς ἐν ᾧ περ εἶδισο ὁ ταῦρος λεμῶνι βόσκεισθαι, τὴν πασιφάω ἐνεβίβασεν ἐλθὼν δὲ ὁ ταῦρος, ὡς ἀληθινῆ βοὶ συνηλθεν Ἡδὲ Ἀσέρμιον ἐγέννησε τὸν κληθέντα μινώταυρον. ἔτι εἶχε ταύρα πρόσωπον, τὰ δὲ λοιπὰ ἀνδρός. Hæc igitur tauri inflammata desiderio, adiutorem sibi Dædalum assumit architectum, qui cædis reus Athenis aufugerat. hic ligneam in rotulis vaccam concavam intrinsecus miro artificio construit, cuique bubulam pellem circumfuit, eamque in prato, ubi taurus depascere consuevit, elocavit. Inde Pasiphaen intromisit, ad quam taurus accurrens, ceu naturalem vaccam inivit. Hæc demum Asterium cognomento Minotaurum peperit: taurino vultu, cætera virum fuisse fertur. Ut verò monstrum hoc stabulari & nutriripotet, Labyrinthum ei Dædalus construxit jussu regis, qui referente Apollodoro oraculis quibusdam ea de re monitus fuerat. Filiabus (quas inter Diodor. Sic. l. 4. p. 183. f. 263. Ariadnen refert) quoque miri operis signa fecisse Pausanias lib. 7. loc. cit. ex Homeri Iliade refert, de quibus tamen infra. In Creta quoque Dædalum ex muliere Cretensi filium Iapygem sustulisse, videre est ap. Strabonem lib. VI. Vbi verò filium Icarum sustulerit & ex qua muliere non satis constat.